


BREVIS ET SVPPLEX ADHORTATIO AD REGEM CHRISTIANISSIMVM.

Pro finiendo controversiæ Ianſenianæ negotio, per legitimum, de quatuor Epiſcopis ſummo Pontifici parere recuſantibus, judicium.

LICET ea ſit meritorum tuorum magnitudo, Rex potentiſſime, quam nulla comprehendat oratio; vnum tamen in præſentia dici poteſt de Te planè dignum Tui, religionis incolumitatem ita jam contineri tua, vt Ianſenianis hujus



hoſtibus præcipuis conduceret, ſi minus fortunatè regnares. Sic enim judiciorum tuorum ſanctitate fregiſti conatus omnes conjurationis iſtius, vt prorſus diſſipata eſſet, niſi pauciſſimorum hominum contumacia cauſæ tam deploratæ miſerabiles reliquias ſuſtentaret. Quapropter tuæ æquitatis eſt videre, ne quam tibi glorioſum fuit Religionem ab eo exitio liberare cœpiſſe, tam parum juſtum ſit eandem propemodum liberatam deſerere velle. Nam vix poterit credere poſteritas Te, cuius magnitudinem reformidat orbis terrarum vniuerſus, ſuperari potuiſſe pertinacia trium vel quatuor Epiſcoporum, qui vix cenſerentur inter Cleri gregarios, ſi ſpectaretur meritum litterarum, quod vnum ſpectari deberet in præſenti negotio. Sed quia res non modo pertinet ad imperij tui vaſtationem, ſed etiam ad everſionem Religionis, dignaque proinde ſit tuis auribus, tuoque tribunali: patere vt breviter tibi repræſentem gravitatem cauſæ totius, in deſcribenda ſerie iſtius conjurationis: ne dum deſcendis ad infima quæque per Regni partes

omnes, quæ situ temporis dilapsa fuerant, restituenda, providesque tam sapienter emendandæ rerum administrationi; negligas Religionem, per quam constant cætera, suoque in ordine continentur.

Ante triginta annos & amplius, orta est factio tuo in Regno, quæ ducem habuit Cornelium Iansenium, virum de omnibus Franci nominis hostibus, sine controversia, bene meritum; qui pro parando Episcopatu, quem obtinuit, dedit operam linguæ maledicentissimæ turpissimo quæstui, & scripto omnium, quæ tulit hæc ætas, atrocissimo Regum nostrorum majestatem proscindere non dubitavit. Is egregij consilij sui participem & socium habuit Ioannem Vergerium Abbatem San-Cygiranum, hominem, si æstimetur de litteris quas scripsit & quæ extant, atra bili percito, fanaticoque similiorem, quam Religionis emendatori, qualem credi se volebat per suos; hisque adeo moribus, vt apparet, hujus societatis & partium earum plane dignum. *Mars Gallicus editus à Cornel. Ians. ad an. 1633.*

Sed pro excusanda ignominia origi-

nis istius, quæsitus color nitorque fucatus ab elegantia sermonis, cujus amans est supra cæteras gens nostra; quæ vt comis & elegans est, civilibus ijs vrbanitatis delitijs capi solet imprimis. Spargebatur venenum illud per Vrbem & Provincias: & tam suavi visco per ingenij naturalem imbecillitatem adhærere cœperunt omnium primæ curiosæ mulieres, juvenesque polituli, qui quærebant famam & opinionem ingeniosorum. Nam supra reliquas hæreses, habuit hæc singulare id & eximium ad imponendum spectatoribus, quod per politos & elegantes viros sparsa sit: cum cæteræ profectæ sint vt plurimum, è Cœnobiorum squallore & sordibus: & interdum per spissos admodum pinguesque Monachos prædicatæ.

Gerebatur autem res omnis studio & ambitu factionis, assentationibusque apud optimates infinitis: multa tamen, pro multitudine demerenda, disputabantur per circulos à Conjuratis de veteris disciplinæ severitate, quæ commendabatur verbis elegantibus, in conspectu frequentiæ, per doctores suspirio-

ſos, qui dabant operam conſcientiarum moderationi : & quod non poterat fides & authoritas, obtinebant adulationes & blanditiæ. Iactabantur interea miri rumores de nova doctrina per civitatem, cui privatim plaudebatur per familias : tubam hanc pleno ore, fortibuſque oculis inflabant ſtrenue primi duces, faciebantque per præcones conductitios, vt grata admurmuratione faventium, & admirationibus præparatis circuli perſonarent.

Adjuvabat iniquitatem cauſæ tam ſuſpectæ languor authoritatis, quæ tum erat, Te per ætatem nondum regnante, tenuis ,ipſiuſque adminiſtrationis imbecillitas : & per eam confuſionem rerum clamore factioſorum, nobiliumque fœminarum inſana credulitate propagabatur in dies ea novitas, quæ ſenſim gliſcebat etiam inter Sorbonicos, partim ſeniorum ſocordia, partim audacia ſtudioque juniorum, qui Sanctabovio partium earum Theologo adhærebant. Erat ~~autem~~ tum frequens in ore Conjuratorum Iprenſis Epiſcopi tanquam viri incomparabilis

famoſum nomen, quod confundebatur cum Auguſtino. Non deerat autem ſolertia ſcite prædicandi per oratores delicatulos ad populum novi dogmatis, quod vltro ſequebatur fides & admiratio ſimplicium: circumferebantur per domos exquiſitæ ſcriptiones; mandatique typis elegantioribus libri, pro replenda ſcena, cui potiſſimum ſerviebatur per hiſtriones tam exercitatos: & nihil prætermittebatur artium earum, quibus captari poterat favor popularis à Sectatoribus, & novitati curioſæ conciliari.

Quia tamen lentum videbatur rem gerere per ſcripta & ſermones, de bello cogitari cœptum. Nam fortunæ melioris ſpem oſtendebant factioni exempla ſuperiorum temporum, quibus per ignem & ferrum Lutherus & Calvinus doctrinam ſuam tam commodè populis perſuaſerant: conſideratum, vbi ratio non valeret, temeritati confidendum: confuſione rerum ac tumultu præparandos animos, ad fidem ei novitati quæ afferebatur, obtinendam. Ardebat tum bello civili Regnum vniverſum: confu-

ſam repentino tuo ad Sangermanum ſeceſſu Civitatem armaverat trepidatio: occaſio videbatur idonea Factioſis, vt immiſcerent ſe ei nimbo, qui conflabatur.

Erant ex ea factione, qui principi Contio, ad quem per id tempus in Vrbe redierat ſumma rerum, quoties veniret in Senatum, veniebat autem quotidie, ſuffragia, opes, fortunas, ſuaque omnia promitterent, pro turbandis rebus: quod ab eo ſæpenumero memoratum. Ipſe Gaſto Aurelianenſis Dux, avunculus tuus, non ſemel à ſuis dicere auditus, dum viveret, in ea temporum atrocitate duodecim millia hominum armatorum ſibi, cum juſto ſtipendio, ſæpe oblata per Conjuratos, pro bello tibi movendo. Quæ conjurationis contra Statum occultæ ſuſpicio non parum labefactavit in Aula cauſam illam: poſtquam cognitum eſt belli facem per eos ventilari, concitarique animos populorum contra Regni adminiſtrationem, quam partibus ſuis non putabant æquam ac favorabilem.

Poſtquam autem à motibus ijs reſpirari cœptum pro abolenda factione,

quæ Religioni imminebat, ad Sedem Apoſtolicam provocatum. Epiſcopi ſupra centum ſcripſerunt ad ſummum Pontificem, vt de quinque propoſitionibus ab Auguſtino Iprenſi excerptis ad ſe referri vellet : de quibus ſerio & mature ab eo deliberatum : patienter auditi, ſuper agitata re, factionis oratores : & reſponſione meditatiſſima, ne feſtinatio rei tam gravis pateret obtrectationi, judicium contra eas, per Innocentium decimum primo, tum per Alexandrum ſeptimum pronunciatum : controverſiæ totius definitio per totum orbem Chriſtianum recepta: audita vox ſummi Paſtoris ab ovili vniverſo, tanquam oraculum certiſſimum.

Fregit ad tempus animos Conjuratorum hæc clades : qui poſtquam ſe collegerunt, quod fieri ſolet à deſperatis, multa clam muſſitarunt per metum contra Cenſuram fractis & inanibus minis : mox jactatæ per circulos partium contra Sedem Apoſtolicam factioſæ voces : ſparſique ſermones maledici de Innocentio : neque parcitum religionis ipſius majeſtati, quæ mimicis artibus petebatur

petebatur per ſummum ludibrium. Quod ſi nihil attinebat id ad Iprenſem Epiſcopum, qui per eam Cenſuram non notabatur, vt erat rumor inter illos, quid erat cauſæ cur ſic æſtuarent? cur enim non ſe componebant ad ſilentium & modeſtiam, ſi judicium id non ad eos ſpectabat? In quo non poſſum, Rex optime, quin te moneam, quam ſine cauſa efferebat eos animi ſui impotentia: qui ne pateretur injuriam liber ab Auctore ſuo repudiatus, ſi quid haberet parum conſentaneum Sedi Apoſtolicæ, ipſam Apoſtolicam Sedem omni injuria temerare non dubitarunt. Nam quæ ſcripta fuerant per Hæreticos prætetitorum temporum contra Sedem Romanam, diligenter & accurate collegerunt. Quibus cum bonorum animos offendi ſentirent, poſt Alexandri Cenſuram viſum eſt conſilio Regioportuenſi artes quæri oportere minùs furioſas, quibus partim nugando, partim implorando fidem publicam, infringerent vim totam judicij Pontificij, cujus obnunciatione tam graui iterum verberabantur. Poſtquam enim de quinque propoſitionibus pro-

ſcriptis per viginti annos & ampliùs, per Doctores tam multos in tot Academiis fuiſſet diſputatum, totieſque deliberatum in Tribunalibus, forenſibuſque judicijs, negari cœptum vllam vnquam de ijs factam mentionem ab Iprenſi Epiſcopo. Itaque cum nihil eſſet præter audaciam, quo perditam cauſam tuerentur Corneliani, ad temeritatem tanquam ad ſupremam in eo naufragio tabulam confugerunt: & vt conſtaret ſua fides mendacio tam impudenti, negarunt vllum extare in Auguſtino Iprenſi quinque propoſitionum veſtigium ea confidentia, quæ vinceret frontem omnium audaciarũ. Sic quod anteà non poterant aſſerere ſaluo pudore, per importunitatem præfidentiſſimæ aſſeuerationis impetrarunt ab imperitis, vt damnatas propoſitiones extare apud Ianſenium non crederent. In quo veniam vix obtinere poterit apud poſteros ætatis noſtræ ſtupor incredibilis, quæ ſibi turpiter illudi paſſa ſit per tam pinguem impoſturam. Quod, credo, nunquam fieri potuiſſet, niſi pro vlciſcenda temporum noſtrorum corruptione, permiſiſſet Deus, vt

aures noſtræ fierent adeò miſeræ, quæ circulatorum eorum fabulis aſſueſcerent, & errori ſic addicerentur, vt major fides haberetur oculis pauciſſimorum hominum priuatorum, quam cæteris totius orbis terrarum Sapientibus.

Quis enim erit aliquando, qui credat ætati noſtræ cæteroquin non prorſus hebeti ac ſtupidæ potuiſſe perſuaderi Doctrinam, quæ Iprenſis Auguſtini primarium & quaſi capitale argumentum eſt, proindeque ſparſam per contextum omnem ampliſſimi hujus operis, quæ per decem annos & ampliùs totis voluminibus defenſa per Conjuratos; pro qua tuenda miſſi Romam Oratores, factique ſumptus immenſi; de qua habitæ per omnem Europam quæſtiones, deliberationeſque infinitæ; quam Tu ipſe, Rex maxime, authoritatis tuæ pondere oppreſſam, in tuo judiciali Regno ſemel & iterum proſcripſiſti; contra quam tot latæ Leges, tot pronunciata per omne Regnum decreta; quam damnarunt verbis conceptiſſimis duo Summi Pontifices; eam deniqueDoctrinam, pro qua abolenda tot graues,con-

ſiderati, ſapienteſque viri tantopere laborarunt, ſomniantis & imaginoſæ mentis alicujus inane eſſe commentum, grandemque fabulam noſtræ ætatis? Quis adeò hebes & rudis ſubulcus, quæ mulier ipſo de grege cetariarum adeo vilis ac ſordida, aut quæ anicula tam leuis erit vnquam, quæ per obeſitatem animi ſibi perſuaderi ſinat abſurditatem tam incredibilem?

An erimus autem deinceps ita vani, vt exquiſitiſſimum delicatiſſimæ ætatis noſtræ in intelligendo, judicandoque guſtum ſupra præteritas memorare non vereamur, qui in luce tam aperta ſic hæſitemus? Niſi fortè credulitatis tam projectæ leuitatem numerari malimus inter monſtra noſtræ ætatis. At ſi ſint in Ianſenio propoſitiones, vt eſſe perhibentur, cur non demonſtrantur digito? cur fides oculorum non imploratur? Vtinam oculi eſſe poſſent, qui patere vellent in re tam manifeſta, & ab omni præjudicio liberari. At perſuaſum tam multis nullum earum extare veſtigium apud Ianſenium: quaſi verò graue debeat eſſe judicium multitudinis, quam

cæcitas opprimit & ignorantia. At ita judicatum à plerisque è Sorbona Doctoribus: quid mirum, si partium varietatem, quæ tanta est in eo ordine, sequatur varietas & confusio judiciorum?

Nihil dico, Rex optime, de cæteris vel Optimatibus, vel Episcopis, vel Doctoribus, qui in re tam clara configi sibi oculos eatenus passi sunt, quatenus se priùs volutauerant in cœno Regioportuensi. Certè si quæ cura fuisset Conjuratis, non dico veritatis, aut conscientiæ, sed vel modestiæ, vel honestatis alicujus, nunquã esse potuissent ita inuerecundi, vt quod erat in oculis omnium, patentissimaque luce, negare sustinerent. Nam pari jure Socinianus aliquis, Filium Dei venisse in hunc mundum, vt redimeret hominem perditum, negare posset ex ipso Euangelio, quòd in eo non habeatur expressa series verborum istorum: cum tamen reipsa nullum aliud Euangelij sit institutum.

Sed nulla re magis apparuit mala fides Conjuratorum in ea parte, quam summo candore Paschalij, partium earum in scribendo facile principis. Cum enim

fuiſſet is pridem imbutus myſterijs reconditioribus ſectæ hujus, perſuaſumque pridem haberet propoſitiones, quæ diſputabantur, ex Auguſtino Iprenſi eſſe promptas; patienter ferre non potuit, negari tam præfracte, quod erat antea receptum inter ſocios, ſumptas ex Auguſtino Iprenſi quinque propoſitiones: quod, vt erat excelſi ſimpliciſque animi, nunquam induci potuit à ſuis, vt negaret ipſe. Immo cum malam fidem ſuorum pati non poſſet, ſcripſit contrà præuaricationem tam apertam: & cum eſſet in extremis, ſcriptum depoſuit in fidem ſororis ſuæ, quod vulgaret, ſi negare pergerent quæ per tot annos tenuerant, vt Cenſuram eluderent. Poteſt conſuli ſuper ea re candor mulieris, quæ redijt in patriam ab aliquo tempore, poſtquam per duos annos & ampliùs fruſtrà in vrbe expectaſſet, donec res Ianſeniana reſtitueretur, vt ſibi imponi ſinebat. Fuſe demonſtrabat eo ſcripto Paſchalius propoſitiones damnatas germanam Ianſenij eſſe doctrinam, quam tuebatur ipſe nimis candide: quæ cauſa fuit, cur de illo, ejuſque ſupremo mor-

bo multa secùs differri cœperint per Conjuratos.

Sed, quod valdè conducebat causæ isti, vt persuaderent omnibus paratos se obtemperare Summo Pontifici, ne haberentur pro desertoribus, in eo sic laborarunt, quasi pro scena personam gererent: nunquam Comœdia acta pulchrius: in distinctione non necessaria quæstionum *de jure, & de facto*, alterum negarunt, vt concederent alterum: neque in vllo loco superbe magis se jactarunt, quam in isto. Hinc illæ voces toties repetitæ, quibus misericordiam popularem mouere tentarunt: quid non vltrò concessimus eorum, quæ meritò postulari poterant à nobis? Damnatæ propositiones à Summo Pontifice, damnamus, devovemusque diris omnibus: honesta oratio; sed, opinor, parum verax & sincera. Nam si bona fide damnatas propositiones proscribunt, cur non explicant quam in sententiam eas damnent, postquam præsertim variè illas accipi posse publico scripto ipsi professi sunt?

Non enim ignoras, Rex optime, quam

fallax & ambigua ſit, vt plurimum, omnis propoſitio vniverſalis, quæ pro ſua amplitudine flecti poſſit in omnem partem ad arbitrium dicentis. Sic per eam ſenſus confuſionem conveniret Auguſtinum inter & Pelagium de neceſſitate gratiæ, de qua diſputabant acerrimè, ſi gratia latè ſumatur pro voluntate, intellectu, vel alia quauis facultate naturali, quemadmodum ſumebat eam Pelagius. Sic de Chriſti præſentia in altari conſentiens erit cum Arnaldo Miniſter Claudius, qui eam admittit quadruplicem: ſi non prius definiatur, de qua præſentia dogma Catholicum intelligatur. Sic Hæretici omnes nobiſcum conſpirabunt, ni controverſæ inter nos propoſitiones reuocentur ad determinatam ſententiam, ne ſenſus omnes induant, ſi vagæ ſint & vniuerſales.

Quapropter cum propoſitiones ab Alexandro damnatæ ſint in ſenſu per Ipreņſem vſurpato, negentque Regioportuenſes vllam earum apud illum eſſe mentionem: tantum abeſt, vt gloriari debeant convenire ſe cum Pontifice de juſta earum Cenſura, juſtoque ſenſu, in eoque

eoque morem gerere se Apostolicæ Sedi: vt ne vel recognoscant quidem vbi sint; de quo prius erat conveniendum, vt de obsequij sui religione persuaderent. Quod cum minimè faciunt, desinant in eo jactare se tam splendidè, cum revocent in controversiam sensum censuræ ipsius, quam recipere se profitentur. Quod autem tam pertinaciter rem totam referri velint ad oculorum judicium, quorum fidem vnam putant interrogari debere in eo negotio, obruantque scriptis lucem publicam, vt id probent: apparet nihil aliud eos spectare, quam vt servent integram simulationem, & susceptam personam bene ludant: quod quam Christianum sit, aliorum esto judicium.

Certè postularet iste locus aliquam orationis vehementiam, quam pro rei indignitate amplificanda desiderabunt in me Declamatores: at admonet me, Rex optime, reuerentia debita tuo Tribunali, non tam causæ à me consuli oportere, quam pudori meo ac modestiæ. Sed admirabilis illa juris & facti distinctio, tot sermonibus & commentarijs celebrata

per Conjuratos, locum dedit defectioni & contumaciæ quatuor Episcoporum, cujus fautor præcipuus fuit Episcopus Aletensis: qui cum propter sanctimoniæ singularis opinionem, in qua tum erat, rogatus esset sententiam de controuersia quæ jactabatur; postquam Summum Pontificem inter, ejusque gregem, medium se constituisset coram Deo, vt ipse per litteras profitetur: respondit candidè parendum Pontifici: quæ causa fuit, cur tum per Regioportuenses vir judicij perexigui, mentisque perpusillæ diceretur. Verum postquam per eos blandius haberi cœpit, vir dici cælestis ac divinus, proponi in exemplum Præsulibus cæteris, comparari cum supremis mentibus summa ejus perspicacitas; facere non potuit, quin succumberet ei fumo, quo per factiosos tam liberaliter incendebatur: rogatusque iterum sententiam de controversia, mutauit opinionem: & qui ne vel de dorso quidem viderat Augustinum Iprensem, propositiones in eo contineri negat fidenter magis, quam pateretur ejus pudor; & contra Majestatis tuæ, Religionisque

ipſius auctoritatem reſpondet non obtemperari debere Romanæ Sedi : ita nimirum pro vili fumo proſtituit fidem ſuam vir ſanctiſſimus. Adeòque per vnum hominem laudum ſuarum quadam quaſi faſcinatione conſopitum reſtituta factio, quam diſſipare cœperat auctoritas tua.

Non dicam ſingillatim de tribus cæteris, quorum alter pro familia ſua in Regio-portu, tanquam ſuo in prædio, conſeruanda, non dubitat erudita recuſatione negare obſequium Summo Pontifici : reliqui duo ne ſubire videantur temeritatis alicujus ſuſpicionem, ſi mutent ſententiam, vel diſpliceant faſtidioſis Doctoribus, per quos reguntur, ipſi pudori renunciare parati ſunt.

His nimirum præclaris artibus languorē diſſipatæ factionis ſuſtinent Conjurati, pro continuanda fabula quam luſerunt ab initio tam feliciter : de quibus eſſet dicendum ad extremum, niſi feciſſent ſua ſcribendi intemperantia,ne non noti eſſent omnibus. Quamquam in tanta multitudine ſcriptorum, quibus fatigarunt Ciuitatem, vix aliquod opus me-

morari poteſt ex ea palæſtra profectum, quod immortalitate dignum ſit. Quid enim vel ingenij laude exquiſitum, vel doctrina ſingulare, vel inventione præclarum meruit ei Scholæ admirationem noſtræ ætatis? Quamuis eorum nonnulli, qui ſe forenſibus miniſterijs exercuerant, bonorum interpretum laudem adepti ſint, qua ſupra cæteros Scriptores patrij ſermonis non mediocriter eminebant. Illud autem eratne tanti, vt eamobrem natos ſe putarent, vt ſuo ſplendore obruerent famam cæterorum: nam plura permittebant ſpei ſuæ, quam ratio ad modeſtiam compoſita pati poſſet.

Non hic exagitabo coram Te ſuperbiam ſcriptorum Regioportuenſium; qui grandes in ſermone ac magnifici, quales deſcribi ſolent in fabulis milites glorioſi, vſique ſemper arrogantia verborum, per quam commendari ſolent apud imperitos cauſæ non bonæ, erigunt ſibi trophæa de ſilentio bonorum omnium, qui tacere malunt quam committere ſe perditæ fronti iſtorum hominum: poſtquam compertum eſt factionem eam nulla re magis nobilitari cœ-

pisse quam maledicendi solertià & dexteritate, quæ laus magnam spectationem attulit partibus ijs. Nam posteà factum vt in domo Regioportuensi conviciorum officina, cujusdam quasi mercimonij, pateret omnibus ad vsus publicos. Si enim scribendum erat contra Rothomagensem Archiepiscopum pro Monialibus Nosocomij Pontæsiensis, si pro Regioportuensibus contra Parisiensem, si pro Richerij sectatoribus contra Summum Pontificem, currebatur ad Portum-Regium, vnde prodibant plena plaustra conviciorum, ad explendam libidinem priuatorum: præclara signa Spiritus, illi Evangelici, cujus buccinatores se tam splendidè prædicabant. Quod fecit, cur Regina Mater cum præesset rebus, tantopere abhorreret ab ijs partibus, neque induci potuerit vnquam vt eos toleraret, quod plane furiosa maledicendi libidine noverat ardere factiosos, vt ipsa non semel declarauit.

Sed venit in animum plerisque, quomodo in tanto scribendi pruritu, quo tenebantur, dedidicerant Latinè scribere,

qui tam gravi ſupercilio laudem quærebant in literis : niſi vt appareret quantum per eos deferretur mulieribus, quæ dominabantur in eo grege: quas niſi ſpectaſſent admodum, nunquam renunciare voluiſſent ei linguæ, quæ naturalis eſt Romanæ Religioni, & doctrinæ quam affectabant. Erat quidem color aliquis latinitatis in Guillelmo VVendrockio ſcriptore Germano, cujus operam conduxerant: niſi maledicendi ſtudio paulò vehementiore, conſarcinatis è Comico convicijs contaminaſſet orationem, & ſi ſcribendi congrue majorem curam ſervare voluiſſet.

Eſſem infinitus ſi perſequi vellem artes cæteras Conjuratorum : certè non poſſum non mirari ſtuporem noſtræ ætatis, quæ ſuum judicium, ſuam fidem, ſuamque Religionem tam ſtolidè circumveniri ſinat per eos præſtigiatores, apud quos palmam obtineat ſola licentia maledicendi: per quam abuntuntur patientia Civitatis: dum tot hiſtoriarum repetitionibus tam odioſis chartas commaculant: & vbi Annato, Ameloto, cæteriſque Religionis defenſoribus ſerio

respondendum est; inani verborum strepitu tinniunt nescio quas pueriles nugas, quibus multitudinem detinent, & summa cum authoritate & elegantia nihil dicunt.

Sed vt revocem, Rex optime, filum orationis, vnde deflexerat, vides ipse quam futile, nugatoriumque sit illud, in quo jactant se tam inaniter, pro obtinenda simulatæ nescio cujus obedientiæ laude; vltro profiteri se rectè damnatas propositiones, sed concedere non posse quod extent apud Augustinum Iprensem. Nam quando dissimulationis istius pudere cœperit eos, negabunt quod fatentur, fatebuntur quod negant. Cum si in eorum sensa penetrare liceat, perspicuum sit eos sentire, quod senserunt per decennium, eas contineri in Iansenio, proindeque immeritò damnatas. Quæ dissimulantia vnum est jam Cornelianæ factionis tuendæ artificium, fabricatum per Architectos hujus conjurationis. Quod cum fucatę pietatis nomine sustinere pergant per quatuor Episcopos, tuum est euertere machinam istam per legitimum de ijs judicium: ne

quod per fucum ita puerilem fecerunt hactenus apud ſimplices & imperitos, imponant ſagacioribus, & perpetuitate contentionis tam frivolæ illudere pergant publicæ tranquillitati, perdantque Religionem: quæ tuta non eſſe poteſt, quamdiu per rebellionem Præſulum iſtorum conſtabit impunitas factioni. Nam nōn ceſſabit controuerſia, niſi legitimum judicium de tam gravi contumacia exerceatur.

Expoſui breuiter, Rex Auguſtiſſime, ſeriem conjurationis iſtius, arteſque omnes & conſilia Conjuratorum. Tuæ nunc prudentiæ eſt reputare tecum, an per difficultatem quæſtionis contra nocentes exercendæ negligenda ſit iſta factio, quæ jam non tam cauſæ ſuæ conditione, quam pertinacia Conjuratorum contra leges tuas ſe defendit. Vide quam parum glorioſe conſuleres vel laudi tuæ, vel populorum ſecuritati, ſi per languorem iſtius negotij moroſitas trium vel quatuor hominum facere poſſet, vt nihil ratum eſſet eorum omnium, quæ tam ſapienter per te conſtituta ſunt tot judicijs contra factioſos. Quid enim

eſſet

esset futurum, si postquam vel felicitatis tuæ, vel votorum de Te nostrorum plenitudini nihil defuit hactenus, vt tui nominis admiratione repleres orbem terrarum vniversum, desiderari sineres id vnum, quod communi bonorum omnium spe à Te flagitatur, vt supremam manum ei negotio admoveas: ne post tot res tam præclare gestas, pro Imperij tui magnitudine, retardent gloriæ tuæ cursum dissipatæ propemodum factionis conatus extremi, languentesque spiritus, quos de paucularum Monialium obstinatione, defectioneque quatuor Episcoporum colligere potuit solertia factionis. Neque te moveant clamores Conjuratorum, qui longitudine scriptorum perodiosa persuadere volunt quæstionem exerceri non posse contra Præsules, qui parere detrectant Summo Pontifici.

Nam si dignitas Episcopalis extra omnem judiciorum aleam constitueretur, quæ securitas esse posset Religioni in eo Regno, in quo per ejus ordinis impunitatem, campus pateret apertissimus, vnde Castillionæorum, Spifamio-

rum , Monluciorum , cæterorumque Præſulum, qui favebant Hæreſi ſuperiori ætate, miſeranda tempora reviviſcere poſſent. Defende, magne Rex , Aras & Templa à periculo tam imminenti. Boni omnes, qui pietatem ſine fuco colunt, implorant opem dextræ illius tuæ, cui fatale eſt exarmare rebellionem. Tendit ad te afflicta Religio manus ſupplices eaſdem, quas pro Imperij tui conſervatione, coram immortali Deo quotidie pro aris tendere conſuevit. Cave ne parum æquum ſit ejus obſecrationem repudiare Te, cujus preces & vota pro tua ſalute ſi Deus aſpernaretur, beatus & incolumis eſſe minimè poſſes. Charior tibi ſit gloria Religionis tuendæ, quam Conjuratis, & malè animatis omnibus cupiditas colligendæ per eam novitatem, quam prædicant, exiſtimationis. Vidimus tuo vel nutu ſublata nuper in urbe latrocinia, ſingularium certaminum ferocitatem extinctam, cædes repreſſas, reſtituta judicia, licentiam luxus refrænatam, omneſque Regni partes emendatas: & poſt tot legum ſanctio-